



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino
Lugduni, M. DC. LXXX.**

57. An Executores etiam Religiosi, quibus aliqua distributio commissa est,
possint sibi consanguineo, vel Monasterio aliqua erogare. Ex p. 8. tr. 5.
res. 46.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. LVI.

An Episcopus sit executor distributionis faciendae bonorum incertorum, & obnoxiorum restitutioni, vel heres, in consilio Episcopo possit supradicta impendere in usus pios?

Et notatur, quod quando de malis ablatis constat in iudicio vel extra, licet restitutio debeat fieri per testamenti executores, tamen hoc fieri debet, consilio Episcopo?

Et an Episcopus hac male ablata in reparationem suae Ecclesiae dispensare possit? Ex p. 8. t. 5. Res. 45.

§. 1. **A**D hoc dubium sit responderi VVadingus in alt. de contr. d. 4. dub. 1. §. 6. n. 6. Difficultas esse potest de bonorum incertorum, & obnoxiorum restitutioni distributione, an in talibus Episcopus sit executor? Respondeo Nos hic agere non de restitutione faciendae in vita fraudantis, nec de restitutione lucrorum publici usurarii; de his enim agitur infra cum de mutuo, & usuris erit tractatio; sed de tali casu. Testator relinquit decem millia distribuenda in usus pios pro exoneratione suae conscientiae, an executio talis legari pertineat ad Episcopum, an vero heres eo in consilio possit impendere in usus pios? & quidem, si heres sciat testatorem fraudasse aliquem in particulari, teneatur illi, & non alteri facere compensationem, quae potest fieri sine graui infamia defuncti, aut sua. Sed si nesciatur, tunc communis quidem Doctorum sententia condemnatur eum ad restitutionem faciendam pauperibus, de cuius veritate tractabit inferius Episcopus autem quatenus se debeat gerere, explicat distinctius, quam alij, Couarr. in cap. nos quidem de testam. n. 8. post Felinum in cap. cum sit de iudicis, quando ad forum contentiosum non sunt deducta male ablata, posse heredem nemine consulto per se facere restitutionem secundum conscientiam, quia ut docent cit. Authores, ius nullum speciale privilegium facit Episcopis in puncto male ablatorum, sed generaliter debet hic procedere sicut in aliis causis piis, deinde valde durum foret, cogere heredem, ut apud iudicem infamaret testatorem. Et haec communis sententia. Si vero fuerit accusatus testator in iudicio, tunc heres restituet quidem; sed addunt, debere consulere Episcopum tanquam Patrem pauperum. Couarr. tamen negat id esse necessarium, & merito, quia Episcopo non datur alias potestas, quam, ut curet legata pia distribui secundum mentem testatoris, non vero, ut ipse exequatur, nisi in defectum. Sufficit ergo, ut ab herede, vel executore satisfiat, & Episcopo sufficienter persuadeatur, facta omnia convenienter. Haec VVadingus, vide etiam circa praesentem quaestionem Molinam de Inq. tom. 1. tr. 2. d. 247. n. 5.

2. Notandum est tamen hic, tanquam certum; quod quando de male ablatis constat in iudicio, vel extra, licet restitutio debeat fieri per testamenti executores, tamen hoc fieri debet consilio Episcopo. Ita ex Abbate, & Felino firmat Couarr. in cap. 3. de testam. ubi refert Palacios Rubios in repetitione rubrica de donationibus, §. 65. num. 9. & hoc pacto intelligendam esse Hostiensis opinionem dicentis, restitutionem hanc debere per Episcopum fieri, sequitur Molina supra vers. quando vero, ubi addit, quod Ordinarius tunc poterit rationem exigere, & curare, ut dispositio executioni mandetur, & in eo eventu, quo executores essent suspecti, praecipere, ut ipsius Episcopi praesentia, seu suorum Ministrorum executio, restitutio seu distributio fieret, ex cap. cum sit de iudicis, & cap. quando de usuris, lib. 6. quod idem sentit Couarr. d. n. 9.

Tom. VI.

vers. nec quicquam urget. Caterum in hoc secundo casu si restitutio seu distributio legitime facta fuerit, in foro exteriori Episcopo sufficienter constet, per executores, seu heredem integrè factam, eam approbare debet, ex Dominico in d. §. Sane, quem sequitur Alex. de Neuo ubi supra, vers. secundo similia, Couarr. d. n. 9. in fine & Molina d. n. 5. in finalibus verbis.

3. An autem Episcopus, hac male ablata in reparationem suae Ecclesiae dispensare valeat? contouertit Dominicus, ex Ioan. Andrea, & aliis in d. §. Sane, n. 9. per totum, & ex aliis Alex. de Neuo paulo ante vers. sed nunc quid, ubi affirmat concurrentibus tribus posse fieri primum, quod Ecclesia indigeat reparatione; secundum, quod facultates Ecclesiae non sufficiant; tertium, quod possit fieri sine graui pauperum damno, alias fecus.

RESOL. LVII.

An executores, etiam Religiosi, quibus aliqua distributio commissa est, possint sibi, consanguineis, vel Monasterio aliqua erogare? Ex p. 8. tr. 5. Res. 46

§. 1. **Q**uia hic casus frequenter solet accidere, apponam etiam hic verba VVadingi tract. de contr. d. 4. d. 1. §. 4. n. 6. ubi sic ait: In eligendis autem pauperibus non est necesse executores esse nimis scrupulosos; si enim ipse sit pauper (praesertim si id ignorauerit testator) potest sibi aliquam partem, etiam cognatis pauperibus applicare, ut tradit à Castro l. cum quidam ff. de iur. Ioan. Vilectus de arte restandi. c. 10. & addit Redoanus tract. de rebus Ecclesiae non alienand. q. 5. n. 28. laudabile esse si commissarius testamentarius, inter propinquos suos pauperes, res, quarum arbitrium est ipsi relictum, distribuatur; multi tamen ab hac regula excipiunt Religiosos executores, quos dicunt, non debere sibi, aut Monasterio applicare, idè, quod non videatur illa fuisse mens testatoris, ut sibi retinerent, si enim id voluisset, legatum illi potius fuisse quos sciebat esse pauperes, aut saltem ad piam causam. Iacob. de Arena tract. de commiss. n. 41. & passim alij, quamvis concedant plurimi posse Religiosum, vel totum si sit res parua, vel partem aliquam, si res sit maioris pretij sibi, aut Monasterio addicere, saltem eo casu, quo testator nullum legatum isti Monasterio reliquisset. Rodr. tom. 3. q. 70. si sit solus executor, negat posse, si socios habeat, dicit licere. Sanch. lib. de praeceptis, c. 11. n. 61. concedit semper posse aliquid Monasterio suo largiri, aut etiam sibi applicare; qui sibi applicat, habent probabilem pro se sententiam. Sed tamen consulant adificationi. Ita ille.

2. Sed omnia supradicta, ex pluribus Doctoribus firmat Dicastillus de iustitia l. 2. tr. 19. d. 3. d. 12. per totum. Dico igitur licere executori testamentario si pauper sit, sibi, sicut & aliis pauperibus distribuere. Probatur primo, quia non videtur esse peioris conditionis ex eo, quod sit distributor institutus; ergo, si esset capax non distributor, etiam distributor erit. Secundo, quia sic satisfit voluntati testatoris solum intendentis elemosynam erogari veris pauperibus, de quorum numero est executor. Tercio a simili, & fortiore. Magis enim est de ratione iustitiae commutativae, quam misericordiae, esse ad alterum; sed restitutio incertorum faciendae pauperibus potest iuxta communissimam, & veracissimam sententiam applicari ipsimet debitori, si verè pauper sit. Ergo potiori ratione elemosyna.

Sup. hoc pro parte Monasterij Religiosi executoris in to. 4. tr. 7. ref. 59. §. 2. paulo post initium à vers. vnde, vique ad §. dico, & in ref. 61. §. Hinc, & pro parte ipsius distributoris in r. 64

Rr

RESOL.